Nos CAROLUS, Dei Gratia, Svecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Ehstoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stettini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Vismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, &c. &c.

UNiversis ac singulis, quorum ullo modo interest, inprimis verò Ordinibus incliti regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, cunctæque in illis Nobilitati, præsentibus hisce literis nostris notum testatumque facimus, Nos, cum injustis Regis Poloniæ armis lacessiti, Poloniam cum exercitu intravimus, nequaquam in animum induxisse, ut huic regno, ejusque incolis, ullum adferremus damnum. Verum ut laben-

tem

tem Polonam libertatem, quam, bello hoc citra consensum Reipublicæ nobis illato, concussam eque fundamentis suis motam vidimus, erigeremus, antiquasque leges, ex quarum conservatione vigorem nostrorum cum Republicâ pactorum dependere liquet, pristino restitueremus usui ac nitori. Persistimus adhuc in eodem proposito, neque e finibus hujus regni antea discedere constituimus, quam, sedatis hisce motibus, salutem libertatemque Reipublicæ extra discrimen positam, nostramque simul incolumitatem in tuto collocatam videamus. Hanc nostram intentionem ab initio ingressus nostri candide significavimus, ingenti fiduciâ, illam tanto promtius assensum reperturam, quanto justiorem ac Reipublicæ magis necessariam ac salutarem æquissimus quisque eam judicaret; verum præter opinionem experti sumus non tantum non debitis studiis hanc propensionem nostram esse acceptam, verum etiam eam Reipubl. partem, quæ Lublini nuper congregata fuerat, cum finem propositi nostri intueri, vetera fœdera renovare, consiliaque prospiciendi cum suæ, tum nostræ securitati, capere deberet, specie defensionis inductam & illusam, non minus infesta quævis contra nos decrevisse, quam suis ipsius legibus ultimum sancivisse exitium. Quo pacto omnis quidem ratio pacandæ Reipublicæ abrupta videri poterit. Et quanquam nos contra Rempublicam, quæ per nupera Comitia injustissimo bello illigari se passa est, jure nostro uti possemus, cumque grandi illius pernicie ac damno eidem repræsentare ea mala, quæ inimicis perversisque consiliis suis promeruerat: attamen cum Nobis satis constat, non paucos cives, qui hoc contagio illæsi, proque patriæ libertate longe melius animati, nihil ardentioribus votis expetunt, quam patriæ tranquillita-

tem

tem, juriumque suorum integritatem ac restitutionem, ad hæc tuenda certam contraxisse societatem, inque eum finem manus invicem conjunxisse; Nos quoque sicut non dubitamus, quin iidem hisce malis justa remedia sint allaturi, eamque adinventuri viam, qua utrique regno tranquillitas securitasque justa acquiratur; Ita eorum instituto lubenter acquiescere volumus, propositionesque, quas exhibuerint, si paci redintegrandæ inveniantur idoneæ, amplecti. Quapropter iisdem civibus jam congregatis, aut in eum finem posthac congregandis, amicitiam nostram conservamus integram & illibatam, eorumque bonis ac personis omnimodam promittimus securitatem, parati illis opem ac tutelam nostram quovis modo præstare: quos verò in transversum abreptos intellexerimus, non præsentibus Reipubl. periculis commoveri, nec cum cæteris ad vindicandam libertatem convenire, eos omnes pro hostibus nostris reputabimus, jusque illud, quod natura & ratio belli dictitat, contra eosdem eorumque fortunas ubique, & omni rigore, exercebimus. Hæc verò præmonere voluimus, ut, quicquid incommodi ipsis eorumque bonis contigerit, non nobis amica omnia offerentibus, sed sibimet ipsis benevolentiam tantam aspernantibus, acceptum referant. In quorum omnium fidem hasce literas, manu nostra subscriptas, sigillo quoque nostro muniri jussimus. Dab. in castris Nostris ad Thorunium die 26. Augusti 1703.

CAROLUS.

(L.S.)